

Cedo, qui vestram rempublicam tantam amisistis
tam cito?

Sic enim percontantur, ut est in Naevii poëtae Ludo, respondentur et alia, et haec in primis: «Proveniebant oratores novi, stulti, adolescentuli.» Temeritas est videlicet florentis aetatis, prudentia senescentis.

VII. At memoria minuitur: credo, nisi eam exerceas, aut si sis natura tardior. Themistocles omnium civium nomina perceperat: num igitur censes, eum, cum aetate processisset, qui Aristides esset, Lysimachum salutare solitum? Equidem non modo eos novi, qui sunt, sed eorum patres etiam, et avos: nec sepulcra legens vereor, quod ajunt, ne memoriam perdam; his enim ipsis legendis redeo in memoriam mortuorum. Nec vero quemquam senum audiavi oblitum, quo loco thesaurum obruisset: omnia, quae curant, meminerunt; vadimonia constituta; qui sibi, quibus ipsi debeant. Quid jurisconsulti? quid pontifices? quid augures? quid philosophi senes, quam multa meminerunt? Manent ingenia senibus, modo permaneat studium et industria: nec ea solum in claris et honoratis viris, sed in vita etiam privata et quieta. Sophocles ad summam senectutem tragœdias fecit. Quod propter studium cum rem familiarem negligere videretur, a filiis in iudicium vocatus est: ut, quemadmodum nostro more male rem gerentibus patribus bonis interdici solet; sic illum, quasi desipientem, a re familiari removerent iudices. Tum senex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat, et proxime scripserat, Oedipum Coloneum recitasse iudicibus, quaesisseque, num illud carmen desipientis videretur: quo recitato, sententiis iudicum est liberatus. Num igitur hunc, num Homerum, num Hesiodum, num Simonidem, num Stesichorum, num, quos ante dixi, Isocratem, Gorgiam, num philosophorum principes, Pythagoram, Democritum, num Platonem, num Xenocratem, num postea Zenonem, Cleanthem, aut eum, quem vos etiam Romæ